

University of Virginia  
Department of Classics  
Mastery Exam in Classical Latin  
Spring 2016

Translate both passages into idiomatic English; avoid both vague paraphrase and over-literal 'translationese.' You may use a printed dictionary, but no other aids. Please write neatly or type, and leave a space between lines.

**Remember to pledge your work;** unpledged exams may be returned ungraded.

Time: 90 minutes.

*1. Socrates's conduct when the Thirty Tyrants ruled Athens, and his ultimate fate.*

Numquid potes invenire urbem miseriorem quam Atheniensium fuit, cum illam triginta tyranni divellerent? mille trecentos cives, optimum quemque, occiderant nec finem ideo faciebant, sed inritabat se ipsa saevitia. In qua civitate erat Areos pagos, religiosissimum iudicium, in qua senatus populusque senatu similis, coibat cotidie carnificum triste collegium et infelix curia tyrannis angustabatur. Ne spes quidem ulla recipienda libertatis animis poterat offerri, nec ulli remedio locus apparebat contra tantam vim malorum: unde enim miserae civitati tot Harmodios? Socrates tamen in medio erat et lugentis patres consolabatur et desperantis de re publica exhortabatur et divitibus opes suas metuentibus exprobrabat seram periculosae avaritiae paenitentiam et imitari volentibus magnum circumferebat exemplar, cum inter triginta dominos liber incederet. Hunc tamen Athenae ipsae in carcere occiderunt, et qui tuto insultaverat agmini tyrannorum, eius libertatem libertas non tulit.

*2. Pluto instructs Mercury to tell Jupiter that he is tired of eternal bachelorhood.*

i celer et proscinde Notos et iussa superbo  
redde Ioui: "tantumne tibi, saeuissime frater,  
in me iuris erit? sic nobis noxia uires  
cum caelo fortuna tulit? num robur et arma  
perdidimus, si rapta dies? an forte iacentes  
ignauosque putas quod non Cyclopia tela  
stringimus aut uacuas tonitru deludimus aures?  
nonne satis uisum grati quod luminis expers  
tertia supremae patior dispendia sortis  
informesque plagas, cum te laetissimus ornet  
Signifer et uario cingant splendore Triones,  
sed thalamis etiam prohibes? Nereia glauco  
Neptunum gremio complectitur Amphitrite;  
te consanguineo recipit post fulmina fessum  
Iuno sinu. quid enim narrem Latonia furta,  
quid Cererem magnamque Themin? tibi tanta creandi  
copia; te felix natorum turba coronat.  
ast ego deserta maerens inglorius aula  
in placidas nullo solabor pignore curas?